



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Ieremiæ Prophetæ Threni Carmine redditi

Latomus, Jacobus

Antverpiae, 1587

Canticvm Mariæ Virginis. Magnificat anima mea Dominum. Luc. 1.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69084](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69084)

Quòd tua nimirum commorim numina ad iras,
 Et fuerim vultus pessimus ante tuos.
 Nam mihi nulla fuit placitorum cura tuorum,
 Contempsi legis iussa verenda tuæ.
 Plurima constitui studio execranda nefando,
 Nec timui noxæ multiplicare vices.
 Ergo tibi cordis genua incuruamus, & aures
 Pulsamus miseri supplice voce tuas.
 Peccaui Domine, & stultus mala multa peregi,
 Agnosco culpam, confiteor que meam.
 Solicitis ego te precibus posco que, rogo que,
 Indulge sceleri, da veniam que meo.
 Ne cum peccatis peream simul, ac mala in æuum
 Iratus serues, exitium que mihi.
 Neue ego ab offenso tandem te iudice ad ima
 Tartara sub terras precipitatus agar.
 Nam Deus illorum es, quos luctu culpa remordet,
 Me que tuæ omnigenæ spes bonitatis habet.
 Sim licet indignus quem serues, attamen ingens
 Restituet pietas me tua, opem que feret.
 Sic tibi donec ero, laudes & carmina dicam,
 Et tua gratanti munera voce feram.
 Scilicet officio hoc celebrat te cælica virtus
 Omnis, & ista tibi est gloria perpes. Amen.

CANTICVM MARIE VIRGINIS.

*Magnificat anima mea Dominum.**Luc. 1.*

Magnifica æterno mea mens encomia Regi
 Et grati officium pectoris omne refert.
 Spiritus exultat iucundis motibus illi,
 Qui mihi saluificam præstat amanter opem.

Me

Me pius ætherea siquidem respexit ab arce,
 Quæ famula abiectæ conditionis eram.
 Ex hoc me dicent omnes per cuncta beatam
 Sæcula, & hanc laudem à posteritate feram.
 Fecit enim mihi magna potens, sanctissima cuius
 Nomina sunt omni tempore digna coli.
 Huius erit pietas in prolem è prole perennis,
 His quibus ipse sui cernet inesse metum.
 Exeruit neruosque sui, viresque lacerti,
 Orsa superborum nec tulit esse rata.
 Præcipites alta exturbauit sede potentes,
 Dans humili in summum surgere posse gradum.
 Esurie pressos rebus ditauit opimis,
 Et liquit vacuos auro, opibusque graues.
 Postremò Isacidam puerû Dominusque Paterque,
 Suscepit cura commiserante suum.
 Haud animi oblitus, promissorumque suorum,
 Quæ prisco nostris tempore fecit auis.
 Quæ dedit Abramo quondam, sobolique futuræ,
 Et quotquot deinceps seminis huius erunt.

CANTICVM ZACHARIÆ.

Benedictus Dominus Deus.

LUC. I.

A Bramidum Domino sit gloria summa, Deoq;
 Ignea cui parent sidera, terra fretum.
 Visere namque suum populû est dignatus, & ipsum
 Soluere ab ærumnis, seruitioque graui.
 Erexit cornu nobis regnumque salutis,
 In pueri David stirpe domoque sui.
 Sicut per vatam prædixerat ora suorum,
 Quos ætas omnis condito ab orbe tulit.

D 3

Hæc